



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallelia Geographiae Veteris Et Novae**

Parallelia Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 2. De Vrbibus Mediterraneis Campaniæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

tum idem Liuius ait: hodie *Napoli*, nobis *Naples*. Adiacebat ei Insula Megaris: nunc *Castel dell'Ovo*. Item non procul Pansilipum vbi villa Pedij Pollionis monte Posilipo: CRIPTA etiam NEAPOLITANA, cuius meminere Strabo, & Seneca, quæ sunt fauces Augustæ, quibus itur Puteolis Neapolim. Ab altera parte versus Vesuuium erat sepulchrum Virgilij, ut ex Statio colligitur: hodie ad vicum *S.Gioanni di Tiduccio*; Donatus tamen id inter Neap. & Puteolos locat.

HERCULANVM ad radicem montis Vesuuij, castrum in mare procurrens Straboni: *Torre del Greco*.

POMPEII oppidum, Pompæa Straboni, & commune Nauale, Nolæ, Nuceria, & Acerrarum: hodie *Scafati*. Hoc certè Statius ad Fl. Sarnum collocat: tempore Neronis terræ motu maiori ex parte subuersum est; eius vina Plinius laudat. Iuxta erat Pompeianum villa Ciceronis.

STABIAE, & Stabij: hodie *Castel à mar di Stabia*; huius vrbis lac plurimum laudant Galenus, Cassiodorus, & Symmachus: de monte Lactario vrbis vicino mox agemus.

SVRRENTVM: *Sorrento*, cuius vina laudantur, quod tamen Tibertius vocabat acetum generosum, Caligula nobilem vappam. Celebrantur quoque vasa Surrentina à Martiali; lœvia erant admodum, vnde *Lene Toreurna rote*.

MINERVÆ Promontorium, aliter Sirenarum, & Surrentinum, ex quo ad Capreas breuis traiectus: hodie *Capo de la Minerua*; in eius extremo Mineruæ fanum, & iuxta Sirenum templum.

Inter Pro.Miseni & Mineruæ extendebatur *Sinus Campanus* Plinio, *Ciuanus Eratostheni*, *Puteolanus Melæ*, & *Crater Straboni*.

#### N V M. 2. De vrbibus Mediterraneanis Campanie.

CAPUA, μητρόπολις καὶ κεφαλὴ Campaniæ, cui aliæ vrbes comparatae oppidula erant; à Tuscis condita, Praefectura facta à Ro. quod se Annibali dedidisset, facta Colonia à Iulio Cæsare: *S. Maria di Capua*, duobus millibus à Capuâ recente; Sicopolis quoque dicta fuit.

CASILINVM Colonia in propinquuo Capuæ, hoc est 2. millibus pas. Strabo statuit stadia 19 vbi nunc hodie *Capua* est, Chronicon Cassinense lib. 1. cap. 33. ait antea castrum Capantem appellatum

pellatum esse, & pontem Campanum, & eò translatam Capuam à Laudone Comite & Episcopo Landulpho cùm Capua sàpe ædificata in monte Pifisco semper deflagrasset.

Cales Colonia vrbs Ausonum : *Calui*.

Calatia Col. incolæ Calatini : *Caiazza*.

CALENVM, cuius vina laudata ab Horatio : huius rudera visuntur circa oppidum *Carinola*.

Alifæ : *Alifi*, à Samniticis distinctæ, nunc etiam cognomines.

TEANVM SIDICINVM, incolæ Sidicini ad discriminem Apuli, cuius incolæ Teanenses ; hodie *Tiano*; olim *Colonia*.

SVESSA Colo. & Municipium, AVRVNCA dicta ad discriminem Pometiæ in Volscis : Liuius ait prius Sueßam, deinde Auruncam nominatam : hodie *Sessa*.

VENAFRVM Colonia ad Vulturnum Fl. cuius ager Venafra-nus oleis ferax : hodie *Venafro*; sed nonnihil à Vulturno fluuo dissidet.

ACERRÆ Col. & Municipium constantiâ nobilis in Ro. contra Pœnos : nunc *Acerra*.

Sueffula Col. *Castel di Sessola*, vbi rudera magnæ vrbis.

Trebula, incolæ Trebulani cognomento Balinienses ad discriminem Sabinæ : *Trentola*.

Saticula Col. malè Satricula, à Ro. ægrè capta : locus *Caserta*.

ATELLA Municipium & Col. vnde fabulæ Atellanæ : *Auerfa*.

ABELLA, & Auella, Virgilio Bella, vbi mala Punica optima: Virgilium ferunt eius nomen mutasse quia hospitium hîc ei negatum esset; quidam & putant pro Nolâ hac vocem substituisse: *Auella Fecchia*.

NOLA Munic. & Col. Chalcidensium Iustino, Tyrorum Soli-no, vrbs Ausonum Stephano; Liuius lib. 39. hanc Samnio adscribit: *Nole*.

NVCERIA cognomine Alfaterna, ad discriminem Vmbricæ quæ Camellaria dicitur; incolæ Nucerini Alfaterni : *Nocera*.

Veseris oppidum, seu castrum ad Vesuuij montis radices versus Capuam, malè sumptum vulgo pro Fl. hîc se Decius deuouit.

### N V M. 3. Flumina Campanie.

VVLTVRNVS, aliter Casilinus dictus Vibio Sequestro : *Voltorno*.

Parall. Geogr. Tom. II.

LLII